

PRÆFATIO

Ex quo Summus Christi Vicarius et Pontifex, Leo XIII, S. Thomæ Aquinatis doctrinas, misero fato diutius neglectas, in priscum honorem restituere decrevit atque revocavit, non pauci philosophi ac theologi Angelici operibus incumbere ejusque dogmata aut meditari aut aliis, pro temporum et scientiarum congruentiis, tradere undique ceperunt. Nec laus ista Universitati nostræ Lavallensi defuit ut, favente Eminentissimo Cardinali et Archiepiscopo Quebecensi E.-A. Taschereau, inde ab ipsis thomisticae restorationis exordiis in utraque Facultate philosophica ac theologica studia ad mentem Angelici Doctoris exigenter atque ipse *Summus theologiarum* liber inter manus professorum ac discipulorum quotidie versaretur.

Quæ cum ita sint, nemo non perspicit quam utile, imo necessarium quodammodo habendum sit, præsertim in tractatu *de rerum creatione* cui nuper tot novæ questiones accesserant, tam multis adversariorum sophismatibus immixtae, juvenum mentibus subvenire per commentaria quæ, nec fusiora ne tedium pariant, nec breviora ne Auctoris doctrinam mutilent, veluti media via inter utrumque scopulum incedant. Hæc nobis mens, hoc propositum fuit in iis scribendis commentariolis quæ nunc auditoribus prælectionum nostrarum libenti animo dicamus aliisque, si qui sint, benevolis lectoribus pari cum fiducia exhibemus.

uu.

opus
Sum-
lpho

Q.